



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nuclevs Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum
quæ scitu vel necessaria, vel valde utilia sunt
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

Agostini, Giuseppe

Coloniae Agripp., 1644

De Iuramento.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41767

reenter, & non cum debito honore sanctissima Dei nomina usurpentur, & hoc pacto polluatur. Cum enim Dei nomen aliquod usurpamus; tenemur reverenter, religiosè, & sanctè usurpare: ut sit in Iuramento, Adiuratione, Voto, & similibus: de quibus hic agendum est,

De Iuramento.

Iuramentum est invocatio, seu assertatio diuini testimonij in confirmationem alicuius rei: & potest esse quadruplex. Assertorium, Promissoriū, Comminatorium, & Execratorium. Exemplum primi est: si quis per Deum iuret hoc, vel illud esse verum. Secundi, si quis iuret, se daturum aliquid, vel facturum in bonum. Tertiij, si quis iuret, se pœnam aliquam, aut malum alicui illaturum. Quarti, ut si quis sibi pœnam imprecetur sub iuramento, si hoc, vel illud faciat, aut dicat: ut Deus hoc, vel illud mihi faciat: moriar, si hoc, vel illud faciam. Potest autem iuramentum fieri explicitè per ipsum Deum: aut implicitè iurando per creaturas, quatenus

I 7 ali-

aliqua ratione plus minus ordiuantur
ad Deum, ut per Sanctos, per cœlum.

3 Iuramentum est licitum, si habeat
debitas conditiones, quæ dicuntur co-
mites iuramenti: nempe veritatem, iu-
dicium, & iustitiam. Veritas est, cum iu-
rat id, quod putat esse verum prudenter,
& habet animum adimplendi id, quod
iurat. Iudicium est, ut reuerteretur, & cum
animaduersione, & necessitate iuret. Ju-
stitia est, cum non offenditur irrationali-
biter proximus contra iustitiam. Eten-
niuersaliter opus est, ut materia proxi-
ma iurandi sit honesta. Si desit prima
conditio; regulariter est mortale; si de-
sit secunda; regulariter est veniale; si de-
sit tertia; potest esse mortale, si iniustitia
sit grauis.

4 Quando licet æquiuocare; licet et-
iam iurare sub illa æquiuocatione. Si
non est necessitas iurandi; non licet iu-
rare sub æquiuocatione. Quando quis
legitimè interrogatur à Superiore, se-
cundum regulas iustitiae; non licet æ-
quiuocare, & multo minus iurare sub æ-
quiuocatione; nisi forte esset periculum
mortis suæ, aut grauis damni.

5 Qui

5 Qui iurat se facturum rem aliquam leuem, etiam bonam, aut indifferentem; non tenetur sub mortali illam exequi, ut dicetur de voto; datur enim paruitas materiæ in iuramento promissorio, quoad executionem rei promissæ, sicuti in voto, ut dicemus infra; quamuis non detur paruitas materiæ in iuramento assertorio; non enim licet vocare Deum in testem alicuius falsi, licet minimi. Multò minus tenetur, si post iuramentum cognoscat, rem iuratam non expedire, aut esse malam. Ita parentes, quando iurant se pubituros filios, vel seruos, possunt postea mutare voluntatem, si videant id non expedire; quamuis male faciant facile, & leuiter iurando.

6 Qui iurat se facturum rem mortaliter malā; mortaliter peccat; si vero si solū mala venia iter; peccat venialiter; & in nullo casu tenetur adimplere iuramentū tale. Qui vero iurat cū animo nō adimplendi quod iurat; peccat mortaliter. Qui iurat latroni, non coactus, se daturum aliquid; tenetur ex iuramento; quamvis facile possit petere absolutio-

nem;

nem : qui verò iurat coactus , potest quiuocare , & non tenetur . Si verò non est usus æquiuocatione ; tenetur , nisi petat dispensationem . De commutatione vero , & relaxatione iuramenti idem dicitur , quod dicerur de voto .

Si quis verè habeat , voluntatem iurandi iuramento promissorio , & in materia honesta ; statim sequitur obligatio illud implendi : etiam si quis , per ignorantiam , iuraret sine voluntate obligandi .

8 Si iuramentum promissorium fiat de actu virtutis soli Deo promissa ; sequitur naturam voti : non enim obligat nisi sit de meliori bono , ut dicetur de voto : si verò sit de promissione facta homini ; obligat , etiam si non sit de meliori bono . Aguar de Iuramento Azor . tom . 3 . cap . 11 . initio . Suar . tom . 2 . de Relig . tract . 5 Filliuc . tom . 2 . tract . 25 . Tolet . lib . 4 . cap . 20 .

De Adiuratione .

9 Iuramentum consequitur Adiuratio . Est autē Adiuratio cū inducitur aliqua persona ad aliquid faciendum .